



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

Parisiis, 1644

XV. De eadem re.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15256

quiratur : & postmodum ea quæ obiiciuntur , fideliter pertractentur : quoniam nihil aliter fieri * debet , nisi im- * decet , petitorum prius requiratur fides , personæ , vita & actus discussantur : quia non debet prauorum aut insidiantium hominum pernicie , vita lacerari innocentium . Sane sæ- piissime boni a malis persequuntur , qui non cessant suis * calamitatibus aliis derogare . Ideo summopere prouidendum est , ne hæc fiant .

XIV.

Nullus seruus , nullus libertus , nullus infidus , nullus criminibus irretitus , nullus calumniator , nullus qui inimicitii studet , nullus qui frequenter litigat , & ad accusandum vel detrahendum est facilis , nulla infamis persona , vel omnes , quos ad accusanda crimina publica leges publicæ non admittunt , permittantur episcopos accusare : quoniam accusatores & accusationes , quas leges sæculi non recipiunt , qua ratione sacerdotalis eas recipere debet ordo , inuenire nequeo , cum hæc & in Nicæna Synodo prohibita sint , & illi magis ab istis , non isti ab illis iudicari debeant ; & Apostolus dicat : *Spiritualis iudicat omnia , ipse vero a nemine iudicatur.*

X V.

1. Cor. 2. Hæretici , a quibus nimum opprimimur , excommunicatique , homicidæ , malefici , fures , sacrilegi , raptore , benefici , adulteri , & qui raptum fecerint , vel falsum testimonium dixerint , seu qui ad sortilegos magosque concurrerint , nullatenus ad accusationem vel ad testimonium erunt admittendi .

X VI.

Nec ita in ecclesiasticis agendum est negotiis , sicut in sæcularibus . Nam in sæcularibus postquam legibus vocatus venerit , & in foro decertare cœperit aliquis , non licet ante peractam causam recedere : in ecclesiasticis vero , dicta causa , recedere licet , si necesse fuerit , aut si se prægrauari viderit .

X VII.

Quoties episcopus super certis accusatur criminibus , si tales fuerint accusatores , qui iuste & canonice recipi debeant , legitima in Synodo suo in tempore congregata , ab omnibus canonice audiatur , qui sunt in prouinciis ,